



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

50. De Idolis apud Frisios coli solitis ante illatam Euangelicam lucem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

DISSERTATIO L.

De Idolis apud Frisios coli solitis ante illatam
Euangelicam lucem.



Lim gentiles vnicum Deum ignorantes vel ab eo discedentes, varios sibi ex vario affectu, imaginatione vel Demonum suggestione Deos id est Idola fabricabant, imo ferme nihil non Deum creabant. Sic quondã nostri Frisij ante aduentum Apostolicorum virorum diuersos Deastros tanquam Deos sibi Proposuerunt, magna superstitione coluerunt. In primis erant ipsis Idola Saxonibus & Germanis vicinis quibuscum cõmunicabant, communia, interque ea septem secundum numerum dierum hebdomadę: & secundum quę dies hebdo: numerabantur. Scribit quidem Iulius Cęsar lib. 6. de bello Gallico: *Germani neq; Druidas (sacerdotes) habent, qui rebus diuinis prasint neq; sacrificijs student. Deorum numero eos solos ducunt quos cernunt & quorum opibus aperte iuuantur: Solę, & Vulcanum, & lunam: reliquos se fama quidem acceperunt.* Sed videntur Cęsari res Germanorum parcę innotuisse; longe enim aliter Tacitus lib. de moribus Germanorum, vbi: *Celebrant (inquit) carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoria & annualium genus est) Tuistonem Deum terra editum & filium Mannum originem gentis conditoresq;.* Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingeuones &c. quidam autem licentia vetustatis plures Deo ortos. & infra refert Aram Vlixii consecratam apud Germanos. Et longe post, Germani: *Herthum id est terram matrem colunt, eamq; interuenire rebus hominum,*

inuelt

in uebi populis arbitrantur. Est in Insula Oceani Castrum nemus, dis-
satum in eo uehiculum veste contextum; attingere uni sacerdoti con-
cessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, uictamq; bubus feminis
multa cum ueneratione prosequitur, deinde idem sacerdos satiata
conuersatione mortalium Deam templo reddit. Hinc manifestum
est Germanos plures Deos quam Cæsar commemorat ob-
seruasse; fuisse ipsis Aram, sacerdotes, quæ non nisi ad sacri-
ficia ordinantur.

Primum itaque iuxta ordinem dierum hebdomadæ Fri-
sij Idolum sit Sol, quem credebant Solis, qui in firmamen-
to residet, esse cooperatorem & collegam. Pingebatur instar
medij hominis facie radiante flammis tēens ambobus bra-
chijs ante pectus rotam ardentem, quibus significabantur
circuitio seu rotatio circa totum Orbem, lux, calor, quibus
omnia recreat, uiuificat, illustrat. ab hoc primus hebdoma-
dæ dies nominabatur **Sunnan deag**, nobis **Sondach**.

Secundum Idolum erat luna. Formabatur hæc mirabili-
ter instar mulieris, habens tamen breuem tunicam uirilem,
& caput tectum caputio cui affixæ erant longe aures, ante
pectus ambabus manibus gestans argenteam lunam. Quid
illa significarent nescio. Nautæ, piscatores, maris nauigato-
res tanquam patronam sacrificijs honorabant. Ab hoc mo-
nendeag nobis **maendach**.

Tertium erat Tuisco, alias Tuisto, putatus Deorum Ger-
mania antiquissimus, de quo iam ex Tacito audiuius.
Efformabatur cinctus pellicea veste, quasi prisco Germano-
rum indumento, manu dextra tenens sceptrum instar Gu-
bernatoris. Ab hoc Germanis nomen **Tupsichu** & dies
Tupwedeag nobis **Opnsdach**.

Quartum Woden, ipsis Deus Belli sicut Romanis Mars;
ideo sculpebatur totus armatus scutum manibus uersans.
Pro victoria obtinenda inuocabatur & bello parta ei offe-
rebantur.

rebantur. Ab hoc **Wodensdeag**, nobis **Wodensdach**.

Quintum Thor, alias Thunre ipsis Deorum potissimus, ut Romanis Iupiter. Repraesentabatur cum magna maiestate in Aula sedens ad extremum lecti decorè strati: caput cingebatur corona aurea cui circumgyrabant duodecim stelle scintillantes: dextra ostentabat sceptrum Regium. Credebant iratum immittere ventos, fulgura, tempestates, sterilitates, pestes; placatum per sacrificia omnia serenare, omnia mala auertere. ab hoc **Thunresdeag** nobis **Donderdach**.

Sextum Friga, Krantzio Frea, quæ spectabatur ut vir & mulier, ideo ab alijs Deus, ab alijs Dea habebatur. Dextra vibrabat gladiū, sinistra arcum, quo indicabant tam mulieres quam viros tempore necessitatis ad bella paratos esse oportere. Existimabatur pacem procurare, amores conciliare. De ea mentionem facit Olaus Magnus in historia Septentrionalium. Saxo Grammaticus narrat cum premente annonæ caritate Snione Rege per sortem Dani emitterentur in aliud solum acquirendum, Fream Deam emissos instigasse ut se vocarent Longobardos. Verum id tanquam fabulosum reijcit Krantzius lib. 2. Daniae cap. vigesimo primo, contendens nomen Longobardorum aliunde fluxisse. ab hoc **frigedeag**, nobis **vrijdach**.

Septimum Seater alijs Crodo repraesentabatur macer, longis crinibus & barba, capite, & pedibus nudis, sinistra eleuabat rotam in altum quo vnitas Germanorum eodem fædere procedentium: dextra portans situlam florum & fructuum plenam quo eius voluntas procurandi per naturalem imbrem flores & fructus: tunica astricta lineo albo cingulo cuius extrema ad diuersas partes quasi vento dispergebantur, quo eorum libertas: stans super piscē nudis plantis aculeatum, quo eos, qui ipsā inuocarent, per quæque aspe-

ra leuiffimè perrupturos declarabatur. Ab hoc dies septimus hebdomadæ **Seater-Deag nos faterdach.**

Super hæc, alia colebant, vt Irminful, cuius mentionem facit Abbas Vrspergenfis in actis Caroli Magni & de origine Saxonum. Erat id armati toto corpore effigies, cuius in dextra signum militare præferens rofam, cuius vt breue momentum, & facilis ortus & interitus, ita & euentus præliorum: in sinistra libram expandebat, dubiam expugnantium sortem facile huc & illuc inclinantem. In clipeo leo, floribus confito campo in quo stabat. Fofte siue Fofite à cuius celebritate Infula Foftilandia denominabatur Stauonè à quo Stauria. Flin positum super pyrote. Mercurium in Walachria celeberrimum &c. Postquam cum Romanis fædera & amicitias inierunt, ab ijs plura mutuarunt.

Contra hæc monstra decertarunt Apostoli nostri non fine vitæ periculo & sanguinis effusione. Has Tartareas illusiones & ignorantias è mentibus gentilium eruere, hoc illo opus, hic labor fuit. Anterius tenebræ operiebant terram & caligo populos, illis aduenientibus, Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in Regione vmbre mortis, lux orta est eis.

DISSERTATIO LI.

De ingressu duorum Ewaldorum in Westphaliam eorumdemque Martyrio.



Odem, tempore, scilicet 693, duo Ewaldi exemplo S. Willibrordi & sodalium exciti, ex Hybernia in antiquam Saxoniam animarum Zelo intrantes, mox aureola martirij decorantur. Et quamuis dissertatione 32. probauerimus eos cum S. Willibrordo in Frisiam non enauigasse, libet nihilominus aliquantulum